KAJETAN POZNAŃSKI
(Warszawa)

# HANNIBALIS LECTER CENA

En convolant huc ad dapem Musae sacrae,
Carnariam dapem meam!

Quin, coepimus cum bracchiis tibicinis,
Qui perperam iam non canet.

Fucus necatus – redditus concentus, heus!
Mihi sonet, symphonia!

Ac hic cerebrum garruli Platonici.
Sentitis? Ut divine olet!

Frictum coquo nunc semidulci punico,
Ineptiae sunt perditae.

Cenae cacumen: quinquies iecusculum
Ex vilibus scriptoribus.

Quod quinque, solum quinque – paulo paenitet,
Sed ceteros, pol, cepero!

Cenate, carae – vos amatis me ferum,
Nam grandis ars caedem essurit.

ARGUMENTUM

*Carmen stilo atque metro* Epodos *Horatianos imitans, in quo apparet persona e libris Thomae Harris et pelliculis cinematographicis ab eis derivatis omnibus fere nota.*